Niewiarowski Stanislaus: Corona obsidionalis Invictissimo Liberatori Obsidionis Vladislao IV etc. ab Ordinibus servatae Smolensci honorifice decreta.

CORONA OBSIDIONALIS

INVICTISSIMO LIBERATORI OBSIDIONIS,

SERENISSIMO

VLADISLAO IV.

REGI POLONIÆ

MAGNO DVCI LITVANIÆ &c. &c.

Ab ordinibus ſeruatæ SMOLENSCI honorificè decreta,

&

Per Nobilem

STANISLAVM NIEVIAROWSKY

Studioſum Philoſophiæ & Eloquentiæ in Academia Cracouienſi

Cum humili S. R. M. ſubiectione

DELATA.



25.



Corona Obſidionalis.



I pro Tuis REX fortiſſime in nos vitamq́; noſtram meritis parùm cumulatè gratias S. M. T. egerimus; obteſtamur Te, ne magis voluntati noſtræ Tibi ſatis obnoxiæ, quàm potiùs magnitudini Tuorum in nos meritorum, id putes tribuendum. Nullius enim tanta in dicendo vbertas vnquam exiſtere poteſt, nulla tanta verborum copia, quæ non ſubitò Tuis in nos recenſendis promeritis exareſcat. Tametſi enim plurimùm ærumnarum circunſeſſi ab hoſtibus accepiſſemus: tamen poſtquam à Te conſeruati, & formidine hoſtili releuati ſumus, ita animis ad ſpem & felicitatem meliorem erigimur, ac ſi vnquam calamitatem vllam eſſemus perpeſſi. Neminem verò ita à natura hebetem, atq́; ab omni ſenſu & humanitate putamus alienum, qui ignoret, quantùm illi debeamus, à quo vitam, libertatem, patrimonium, ciuitatem, omnia inſuper diuina, & humana

reddita & reſtituta nobis videmus. Qui etiam illo ipſo tempore cùm vi, ferro, metu, minis obſeſſi teneremur: ſuam ſalutem, in qua Reipub. ſalus niteretur, noſtræ poſthabuit incolumitati. Plurimùm profectò Parentibus vnde lucem primam hauſimus, debere nos profitemur; longè plùs Deo, à quo non exiguis in primo naſcendi initio aucti ſumus muneribus: non exiguum aliquid Reip. cuius honorificentiſſimis decretis, hac in prouincia collocati ſumus; ſed immenſum quiddam illi debeamus eſt neceſſe, à quo hæc conſeruata, & ab hoſtili perturbatione, reſtituta in integrum intuemur. Nam ſi quid vnquam in vita eſſe carum cuiquam poteſt, vt ſunt pignora naturæ, domeſticæ cognationis, & ſanguinis neceſſitudo, leges, otium, tranquillitas; hæc omnia prorſus nobis erant auferenda, niſi Tua bonitas maturè acceſſiſſet: quâ perfeciſti, nè cum vita, fama, fortunis, Moſchorum cupiditati & crudelitati dederemur. Quocirca cùm mediocritas noſtra Tuorum in nos amplitudinem meritorum adæquare non poſſit: for-

tiſſi-

tiſſimum & feliciſſimum, ſalutis noſtræ propugnatorem, ſempiternâ proſequemur beneficij accepti recordatione; atq́; coronas obſidionales certatim conferemus, ſtatuas Imperatorias, Tuę virtuti ad omnem poſteritatem propagandæ, hîc ad Boryſthenem, vbi nunquam ſatis laudanda fortitudo Tua, nobis conſeruandis inclaruit, erigemus. Nunc verò Te per Tuam dexteram fortem, quâ nobis extremè oppreſſis ſubueniſti obteſtamur, patiaris de Tua bellica gloria quâ nos quaſi victimam crudelitati & cupiditati hoſtili deditos erexiſti, aliqua dici: non vt quicquam illi ad amplitudinem maiùs addi poſſit; verùm vt nobis ex frequentiore illius recordatione, tantùm voluptatis accedat, quantùm erat ex obſidione mæroris.

Nihil nobis æquè in vita extitit iucundum, quàm illius diei recordatio; quo Tu Regni Tui felicitatem, atq́; ſupremum hoc à Deo Tibi impoſitum negotium, à nobis tuendis, ordiri voluiſti. Non iniquè videtur nobiſcum egiſſe fortuna, quòd cùm nos ad omnia miſerandum in

modum prodidiſſet pericula: ad extremum Tuo conſilio, & prudentiâ Diuinâ, graui atq; vltimâ volebat exemptos eſſe internecione. Non ita profectò acerbum fuit nobis extrema quæq; & infanda, à crudeliſſimo præſtolari hoſte, fortunas noſtras proponi ad miſerandam direptionem, liberos ad probroſam deſignari contumeliam; quàm illuſtre & iucundum eſt, talem habuiſſe vitæ & libertatis propugnatorem. Iactent vt libet Siculi Marcellorum nobiliſſimum in ſe patrocinium, quorum præſidijs ſtarent ſemper incolumes. Glorientur Spartani Claudiorum beneuolentiâ, ſuas propulſari ſolitas fuiſſe calamitates. Extollant Neapolitani Licinios, Herennij Marios, vniuerſa Græcorum inſuper natio, Cæſaris clientelam, vt libet ad poſteritatē commendet; nihil illis tàm inſigne, tàm eximium, tàm extremè neceſſarium, aut commemorabile præſtitum eſt: quod nos in Te fortunatiſſime REX, extrema quæq; ab hoſte expectantes, requireremus. Et tametſi vniuerſo Regno, ſuffragijs Ordinum conſentientibus, exterorum etiā

popu-

populorum ſtudijs fauentibus à Deo datus ſis;
nos tamen maximi muneris iſtius primi fructũ
nos accepimus & voluptatem; quaſi nos in hoc for-
tuna oppreſsiſſe grauiter videretur, vt per Te ho-
norificè & laudabiliter extolleret iacentes. Ob-
iecta eſt Tibi in primo ad Regnum aditu tem-
peſtas hoſtis formidoloſi coërcendi, cuius Tu
vel in ipſo in has oras aduentu exultantem infre-
naſti temeritatem. Quâ celeritate, quâ dexteri-
tate? nimirum in morbis corporis vt quiſq́; eſt
difficillimus, ita medicus nobiliſsimus atq́; opti-
mus quæritur; ita nos prope extremè fortuna
perdiderat, vt per Te fortiſsimum Regem, gra-
uiſsimis vitæ & fortunarum periculis releuaret.
Quantâ noſtrâ fortunâ quis memoret; iam pror-
ſus in ſuprema rerum omnium deſperatione res
noſtræ collocatæ videbantur, impendebat cer-
uicibus noſtris, naturâ immanis hoſtis, incen-
debat eius amentiam infeſtam, noſtra mediocri-
tas, defenſorum paucitas, annonæ difficultas.
Huc acceſsit ſpes victoriæ opima, & Tuus, non
paruos furioſo hoſti addere videbatur ſtimulos,
apud

apud eum nobis tuendis inopinatus aduentus. Tu verò, cùm nos ad cædem, vrbem ad direptionem, crudelis prædator designaret, accurristi solus, vel cum paucis: vt vel exemplo fortitudinis Tuæ declarares, non tàm numerum in bellis, quàm consilium & rationem valere. Accurristi vt cæteris viam præires, atq; luce palàm ostenderes, Tibi semper animosè in sole & acie graue munus Regium traducendum. Magnum est quod à Te conseruationis accepimus beneficiũ: sed longè maius quod maturissimè accepimus; Diuinum est, quod nos iniquo propè funeratos fato, ad vitam rursum & meliorem fortunam restituisti, sed longè maius, quod non mediocri Tuo periculo restituisti; vt in tantis incommodis, non iam nobis, quam Tibi & Capiti Tuo sacro metueremus. Idcirco postquàm Tibi nostra incolumitas magno constitit, quia non nisi graui Tuo periculo, multo labore, frequentibus excubijs; magnam Regis beneficentissimi in nos beneuolentiam coniectamus: quos multo compararet labore. Naturâ namq; ipsâ ea cariora habentur

bentur, quæ aut operosiùs quæsita sunt, aut difficilius conseruantur: vtinā verum illud in nobis agnoscimus, quod lenocinium sit muneri antecedens metus. Vt verò iucundior nobis Tua foret in causa nostra solicitudo, ad magnitudinem beneficij, etiam celeritatem addidisti. Qui tardè & diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit; ita duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis, tardè velle, nolentis est. Illud autem quo in numero censendum, quod Te & incolumitatem Tuā nostris periculis arcendis impertiisti; quasi post aditum feliciter Regnum non iam Tibi, sed Tuis viuere subditis velles. Vociferentur nunc vel ad rauim, molles illi Principum assentatores, auocent bellis, fortunam & præsentiam Regum, contendant militis manus esse Imperatorias; Imperatoriam incolumitatem bellicis dedi non oportere periculis. Producant Augusti fortunam, qui aliud quiddam agens, apud Actium vicit: meminerint Xerxis, qui ex monte Ægileo prælium spectarit nauale; aut cuiuspiam alterius,

qui ſublatis ſcalis, dimicantes exercitus, remo-
tior ipſe ſpectauit, vt nec intereſſet periculo,
adeſſet autem euentui. Hæc imbellis & anguſti
animi ſimulachra, quantùm ſibi ad probrum &
dedecus, tantùm Tibi addunt fortiſſimè REX
ad gloriam. Non enim magnitudinem Tuam lu-
dicra hæc mollium exempla Principum, pericu-
lis poterant auocare. Iuiſti primus, non magna
Tuorum manu, vt quemadmodum Maieſtate
ãtecelleres, ita animi robore, caritate patriâ, alijs
anteſtares. Non Tibi ſtudium, non ſolicitudo
in tanto defuit officio, in eoq; ſupremo mune-
re, nihil priùs & antiquiùs habuiſti, quàm vt no-
bis optatam reſtitueres libertatem. Rideatur in-
ſolens ille, & loco atq; nomini Imperatorio lon-
gè quàm impar Gallienus Imperator, qui non
aliter rexit Imperium, quàm vt pueri fingunt
per ludibria poteſtates, cùm ex luto fingunt, re-
fingunt equites, equitumq; Magiſtros. Qui vbi
Ægyptum deſciuiſſe intellexiſſet; quid (inquit)
ſine lino Ægyptio eſſe non poſſumus? cum Aſiã
vaſtatam incurſionibus Scytharum; quid (in-

quit)

quit) ſine aphronitris eſſe non poſſumus? Amiſſa Gallia arriſiſſe perhibetur: quid? ſine trabeatis ſagis tuta non eſt Reſpublica? Non ea Tibi ſubijt vnquam animum cogitatio, cùm potiùs viuere Tibi acerbum & graue putauiſſes; ſi nobis aliquid vel leuiter detrimenti accidiſſet.

Quid verò locus ipſe vbi bellatum eſt, an non magnum affert ad victoriam Tuam momentū? quod in hoſtico ſolo, & in eo quidem, quod ſanguine toties perlitum ſit & maduerit noſtro; apud eos hoſtes, quibus innatum in nos odium eſſet: qui ſe etiam perfido contra nos obſtrinxerunt iuſiurando: quos noſtro malo graui, bellandi docuimus artes. Tàm infeſto itaq; in ſolo, procul domo, patriâ, commoditatibus, noſtri memor, Tui immemor, bellum contra feras propè non homines ſuſcepiſti; vbi quotidiè in capitis dimicationem veniendum erat, in tentoriis etiam Tuis ignita tela expectanda; globi ferrei metuendi: vbi nihil fidum, omnia ſuſpecta eſſent; cùm hoſtem deſperatio ad extrema quæq; adigeret tentanda. Feciſti igitur fortiſſime REX, more inſtitutoq́ue Imperatorum laudabili,

bili, vt hostem nobis imminentem anteuerteres, atque Tuâ coërceres potentiâ, priusquàm ab eo aliquid pateremur detrimenti. Commodiùs & facilius sua tuentur, qui in alieno solo armati sunt; quærat necesse est hostem eius in agro, qui suis prouidere vult tranquillitatem. Non priùs Epirotæ iniurijs Romæ inferendis destiterunt; quàm Romani in Græciam transmisissent: non Philippus, non Perseus, nō Mithridates, finibus alienis abstinuerunt populandis, priusquàm idē passi essent, quod alijs intulissent. Non mediocriter hostilis iniuria, grassata contra nos agrosque nostros fuisset: nisi vim istam, in eius vbi nata esset domicilio, sustulisses. Hæc sunt quæ animosè in hostico solo, nostri causâ adiisti. At quo tempore? quàm per anni vicissitudinem incommodo? cùm omnia iure gentium bella conquiescant: cùm feræ etiam quærant latibula, cum cæli & hyemis acerbitas, & soli illius longè maior inclementia, ad hyberna, ex castris, ex acie cogeret militem. Eo tempore tàm incommodo, tàm alieno, tàm insueto, Tu ipse propè idem eras & Imperator, & miles; & quem Maiestas Sacra

ab alijs

ab alijs ſecerneret; officium, excubiæ, labor militaris, commune periculum, tolerantia incommodorum, ab alijs non ſecreuit. Quot modis pugnantium aciem inclinantem fortunâ Tuâ, & prudentiâ reſtituiſti? quot modis abeuntes acie, authoritate Tuâ reuocaſti: aut ſolo intuitu in ruborem dediſti; quàm frequenter continuatis noctibus & diebus, ſub aperto cælo, occaſionem hoſtis aggrediundi præſtolans, conſtitiſti? propè ſolus in excubijs & periculis, vt cæteris tutò quietis eſſe liceret: vt quaſi per infectos gladios, præſenteſq́; mortes, gloriam & victoriam quærere videreris. Inſignis ille bellator Scipio, ita illuſtri apud omnes gratiâ & famâ floruit, vt Magni penes Ciues, Maximi penes amicos, Feliciſſimi penes hoſtes nomen meruiſſet. Affingat Scipioni popularis aſſentatio, quàm volet inſignem famam; nos Te Regem Magnũ meritis Tuis æſtimamùs, quod vrbem & arcem, cuius potiundæ hoſtis, ſpe atq; animo incubaret, vltimo ab excidio conſeruaris: Maximum, quod eius feritatem manſuetudine Tuâ mitigaris: Feliciſſimũ, quod non priùs ſe hoſtis victum


ſentiret, quàm Tuæ virtuti palmam conceſſiſſet.

Quamobrem celebratur hæc Tua fortitudo & felicitas REX potentiſſime, non domeſticorum tantùm ſermonibus, ſed etiam exterorum frequenti admiratione, quod fortunæ & gloriæ Tuæ amplitudinem miſerorum hominum neceſſitati atq; ſaluti condonares: quòd magnis prouinciæ noſtræ luctibus, atq; funeribus ſubuenires: quod loco alieno, tempore inſueto, nimis quàm maturè, ipſe per Te afflictis & obſeſſis prodeſſe velles. Cùm verò magnæ Tuæ virtutes, maximis quaſi theatris orbi vniuerſo ſunt propoſitæ, nè nos ſegniùs felicitas à Te accepta quàm aduerſitas ab hoſte illata mouere videatur; non obliti quantam cladem, quem & qualem à nobis prohiberes luctum; cùm ſupremo Deo, vitæ & libertatis noſtræ autori, ſumma quæque, tum S. M T. tantorum propugnatori & conſeruatori bonorum debemus; cuius ad omnem poſteritatem admirandæ victoriæ Trophæum immortale ponemus.

Maximo & Optimo Patri patriæ, fortiſſimo bellatori VLADISLAO IV. potentiſſimo REGI Poloniæ, Moſcorum Domitori feliciſſimo, Smolenſci ordines, Hoc vitæ, & libertatis conſeruatæ teſtimonium erexerunt immortale.

Rectoratu Magnifici Domini CHRISTOPHORI NAYMANOVIC Medicinæ Doctoris & Profeſſoris.

CRACOVIÆ
In Officina Franciſci Cæſarij, Anno
M. DC. XXXIV.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0010284